



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

7. Decet Romanum, &c. Bulla declarationis incurfus censurarum &
pœnarum contentarum in Bulla privationis Alphonsi Estensis, tunc Ducis
Ferrariæ, contra Magnificum d. Carolum de Ambosia, de Ciamonte ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

tionis, subjectionis, decreti, privationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Domini-
cæ, Millefimo Quingentesimo decimo, Septimo
Idus Octobris, Pontificatus nostri, anno septimo.
Sigismundus.

Bulla declarationis incurfus censurarum & pœnarum contentarum in Bulla privationis Alphonfi Estensis, tunc Ducis Ferrariæ, contra Magnificum D. Carolum de Ambosia, de Ciamonte Magnum Magistrum, & nominatim contra reliquos Capitaneos, & Duces Exercitus Christianissimi Regis Francorum, & generaliter contra omnes, qui in defensionem & auxilium D. Alphonfi Estensis, contra S. D. N. & S. Rom. Ecclesiam militant, & ejus Terras & loca hostiliter invaserunt, & deprædati sunt: anno 1510.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, ex divina tradita sibi potestate, pœnarum spiritualium, & temporalium pro meritorum diversitate dispensatorem constitutum, pro animarum salute, in eos qui monitionum suarum, & mandatorum Apostolicorum transgressores, ac censurarum, & Apostolicæ auctoritatis, & Clavium contemptores existunt, debite animadvertere, & acrius insurgere, ne tales sic damnati, & contemptores dati in reprobum sensum eorum exemplo alios decipiant, & in errorem, & ruinam secum trahant, ac eorum participatione, ex conversatione alios Fideles inficiant, & contaminent, necnon ad ipsorum damnatorum confusionem, quàm formidabilem censuram, & pœnarum rei existant, ad omnium aliorum publicam, & certam notitiam deducere, & declarare, ad hoc ut ipsi sic declarati, & publicari, confusi, & compuncti ad cor reverti, & salutis propriæ consulere valeant, & alii eorum exemplo discant à similibus abstinere, & ab eorum excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conversatione, & participatione, & obedientia se subtrahant, ut divinam ultionem evadant, & eorum damnationis participes non existant. Sanè licet nuper iniquitatis filium, & perditionis alumnum Alphonsum Estensem suis excessibus, erroribus, & nefandis delictis, per eum perpetratis exigentibus, majoris excommunicationis, & anathematis sententiam, perjurii & Sacrilegii reatus, ingratitude, rebellionis, & Læsæ Majestatis crimina, damnabiliter incidisse, omnibus & singulis indulgentiis, remissionibus, tolerantis, gratiis, privilegiis, libertatibus, & immunitatibus in Vicariatu, & Ducatu Ferrariensi, aliisque Feudis, Locationibus, Honoribus, Dignitatibus, etiam Consaloneriatus, Civitatibusque, Terris, ac castris, oppidis, fortalitiis, locis, juribus, jurisdictionibus, & bonis quibuscunque, quæ quovis modo obtinebat, ac in quibus, & ad quæ jus sibi quomodolibet competeat, ac propter iniquitates reiteratas, ingratitude, ac delicta ejusdem Alphonfi, omnes & singulos ejus ex quondam Hercule ex Marchionibus Estensibus, Fratres germanos, aliosque de eorum familia existentes, etiam in præmissis, seu eorum aliquibus, vel ad illa jus habentes, & habere prætendentes, quorum nomina & cognomina, ac qualitates pro expressis haberi volumus, ac omnium eorum Posteror, & Successores quoscunque prædicto, & omni Successionis jure in perpetuum omnino privatos, ac

inhabiles, & indignos ad illa, & quælibet alia similia, vel dissimilia impostera obtinenda, & quoslibet actus legitimos exercendos, Civitatesque, Castra, Oppida, Terras, Fortalitia, loca, & alia omnia prædicta confiscata fuisse, & tunc fore, ac à prædictis privationis, & inhabilitatis pœnis neminem ex familia sua, etiam prætextu minoris ætatis, aut sexus excusari, seque tueri posse, quominus pœnis hujusmodi omnino irretiti, & innodati censerentur, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio pariter, & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ex certa nostra scientia declaraverimus, ac sententiando privaverimus, & inhabilitaverimus, dictosque Ducarum, & Vicariatum Ferrariensem, cum omnibus Civitatibus, castris, oppidis, & feudis, quæ à dicta Romana Ecclesia quomodolibet obtinebat, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, ac omni integritate ad dictam Romanam Ecclesiam legitime devoluta, ac reversa fore decreverimus. Univerfis quoque Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Domicellis, Feudatariis, & Vassallis, ac aliis quibuscunque, etiam præfatæ Romanæ Ecclesiæ non subiectis, districtè præceperimus, & mandaverimus, ne extunc in antea ad stipendia dicti Alphonfi, aut ei faventium militare, seu eorum Stipendia capere, vel ad Stipendia hujusmodi, seu alia cum eis se, vel suos armigeros, & sequaces locare, eisque etiam prætextu cujuscunque protectionis, confederationis, & Ligæ, quominus dictum Alphonsum debite punire, & castigare valeamus, Consilium, auxilium, vel favorem quomodo præstare audent. Quinimò si qui tunc cum eisdem militabant vel in ejus auxilium, vel favorem venerant, infra certum tunc expressum terminum, ab ipso Alfonso, ejusque obsequiis, auxilio, & Stipendiis, omnino recederent, quacunque obligationis, seu protectionis & defensionis formula, quâ obligati erant, non obstante, ac in omnes & singulos eæ eis, qui contra mandatum nostrum hujusmodi facere, vel etiam venire temptarent, quoque modo per se vel alium, seu alios directè, vel indirectè dictæ excommunicationis majoris, anathematis, maledictionis, & privationis, & inhabilitatis, necnon in Terras, Domina, & loca eorum si qua haberent, seu eos habere contingeret interditi, ac in eos, & eorum descendentes, privationis dignitatum, dominiorum, Feudorum, & bonorum, ac privilegiorum, gratiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, necnon inhabilitatis ad illa, ac bonorum confiscationis, sententias, censuras, & pœnas, extunc prout ex eadem die, promulgaverimus, eosque illas absque alia ulteriori monitione post literarum nostrarum desuper concessarum publicationem, & notitiam incurere voluerimus eo ipso, aliasque, & alia fecerimus, prout in dictis nostris literis desuper confectis, quarum veritatem tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, quasque ut ad Alfonso, & aliorum monitorum, & privatorum, ac sub eisdem literis comprehensorum notitiam deducerentur, in certis tunc expressis locis affigi, & publicari iussimus, & fecimus, ac volumus, ut illos literæ illico post affixionem prædictam perinde arctarent, ac si eis eadem literæ personaliter intimatæ forent, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, sicut non sine gravi animi displicentia accepimus, iniquitatis filius Carolus de Ambosia, qui pro Governatore Ducatus Mediolanensis, nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Francorum Christianissimi, necnon Galeatii, & Marcus Antonius Palavicini, Theodorus, Georgius, & Alexander de Trivultio, Dominus de Montifon, Dominus della Pelliza, Bajardus Dominus Dembreccort, ac Domini de Conti, de Bernia, de Satiglione, de Fontraglia, & Desojis, necnon Joannes Tuardus, Aloysius de Arsi, & Badinus, ac alii, qui ac

VII.
Ex Miscell.
Biblioth.
Casanat.
Tom. 141.
in 4to.

dictus Carolus pro Capitaneis & Ducibus gentium armorum dicti Regis, ac militibus, seu stipendiariis D. Alphonso se gerunt, post afflictionem, & publicationem priorum Litterarum Nostrarum predictarum, post quod lapsum singulorum terminorum in eisdem litteris per Nos praefixorum, ipsarum Litterarum ac Mandatorum Nostrorum praedictorum notitiam habentes, suae propriae salutis immemores, Nobis ad partes Romandiolae pro recuperatione Vicariatus, Ducatus & Feudorum, nec non Civitatum, Terrarum, Locorumque praedictorum personaliter venientibus, & in Bononiensi Nostra Civitate cum Curia, ac Venerabilibus Fratibus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus moram trahentibus, recuperationi huiusmodi temere renitentes, dicto Alphonso nedum praestita alias per eos subsidia subtrahere, ut debuerant & tenebantur; verum arma & gentes armorum, ac nova auxilia, & suffragia praestare, & magnas copias, tanquam Nostris, & dictae Sedis publicae & manifestae hostes, ad servitium, beneficium, & succursum publice & notorie dicti Alphonso contra Nos & Sedem praedictam, palam & publice subministrare, ipsumque Alphonsum in suis inobedientia, contumacia, & rebellionem, ac Vicariatus, Ducatus, & Feudorum praedictorum occupatione & detentione confovere, non verentur, Sanctae Romanae Ecclesiae exercitui, & gentibus Nostris pro expulsionem dicti Alphonso existentibus, tanquam Nostris & Sanctae Romanae Ecclesiae hostes se manifeste opposcentes, & quod deterius est, velut hostes Territorium Bononiense hostiliter invadere & depredare, & homines occidere, & captivos quamplures ex subditis Ecclesiae abducere, Arces & Fortalitia, seu Castra Ecclesiae Romanae huiusmodi comburere cum hominibus in eis existentibus, & aliqua invadere, ac capta custodire palam & publice non sunt veriti, poenas contra talia perpetrantes temere incurrendo excommunicationis & maledictionis, ac anathematis, aliasque in prioribus Nostris Litteris praedictis contentas sententias, censuras & poenas damnabiliter incurrendo: Ut igitur cum Alphonso, & aliis praefatis, & anathematizatis, ac maledictis merito computentur, & sicut in delinquendo dicti Alphonso pertinaciam sequuntur, ita poenarum etiam participes, ac secum portent poenas, cum praemissa adeo manifesta & notoria sint, & facti etiam permanentis, ita ut nulla probatione, vel monitione aut citatione indigeant, prout sic fore decernimus, & declaramus Carolum & Galeatum, & Marcum Anthonium, Theodorum, Georgium, & Alexandrum, ac Dominum de Montison, Dominum della Pelliza, Bajardum Dominum Dembrecoret, ac Dominos de Conti, de Bernia, & de Satigliano, de Fontraglia & Defoys, ac Johannem Aloysium, & alios praedictos, ac omnes & singulos alios Capitaneos gentium, Armorum Ducatores, Ocnestabiles, ac milites quoscunque, tam equestres, quam pedestres, qui contra Nos & Sedem praedictam, ac pro dicto Alphonso, tam illius, quam quorumcunque & Regum, seu aliorum Principum, aut eorum propriis stipendiis militarunt & militant, seu arma quomodolibet sumpserunt & sumunt, aut auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praestare, & subministrare praesumpserunt & praesumpunt, quorum omnium nomina & cognomina, ac qualitates, etiam si quavis celsa, & grandi praefulgeant dignitate, praesentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore praesentium facienda nominatim exprimi posse decernimus, majoris Excommunicationis, & divini anathematis, nec non maledictionis aeternae, & interdicti, ac in eos, & eorum descendentes dignitatum, honorum & bonorum privationis, & inhabilitatis ad illa, necnon bonorum confiscationis, & alias sententias, censuras & poenas praedictas damnabiliter incidisse, civitates quoque, terras, castra, oppida & loca, in quibus tunc, & pro tempore fuerint, & ad quae

eos declinare contigerit: ac quae in illis sunt Ecclesias, etiam Cathedralis & Metropolitanas, Monasteria, & alia Religiosa, & Pia Loca etiam exempta quaecunque Ecclesiastico Interdicto supposita esse, ita ut illo durante in illis etiam praetextu cuiusvis Indulti Apostolici, praeterquam in casibus a iure permissis, & in illis non alias quam januis clausis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, nequeant Missae, & alia Divina Officia celebrari, dicta Apostolica Auctoritate tenore praesentium declaramus, illosque pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis & inhabilibus, ubicunque locorum denunciari & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari praecipimus & mandamus. Et ut omnibus praemissa innotescant, universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum Praelatis, Capitulis & Personis Ecclesiasticis, etiam quorumvis Ordinum, etiam mendicantium Religiosis, exemptis & non exemptis, ubilibet constitutis, in virtute Sanctae Obedientiae, & sub dicta Excommunicationis latae sententiae poenis mandavimus, quatenus ipsi, & quilibet eorum, si & postquam vigore praesentium requisiti fuerint infra tres dies, quorum pro primo, & alium pro secundo, ac reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac Canonica monitione praemissa assignamus, eosdem excommunicatos, anathematizatos, maledictos declaratos, aggravatos, interdictos, privatos & inhabilitatos, si non paruerint, in eorum Ecclesiis Dominicis & aliis Festivis Diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad Divina, cum Crucis Vexillo pulsatis Campanis, & accensis candelis, ac demum extinctis, & in terram projectis & conculcatis, cum trina lapidum projectione, aliisque Ceremoniis in similibus observari solitis, publice nuntient, ac faciant & mandent ab aliis nunciari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari. Verum quia impossibile foret praesentes nostras declarationis, & publicationis litteras, ad praesentiam & personam propriam dictorum excommunicatorum personaliter deducere, propter eorum potentiam, volumus, ut affixio & publicatio praesentium litterarum in Valvis Cathedralium Ecclesiarum Mutinensis & Bononiensis. Civitatum facta, ita eos liget, & arctet, & declaratos, & damnatos demonstret in omnibus & per omnia, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatae & praesentatae fuissent. Postremo quia difficile foret, praesentes declarationis litteras ad singula quaeque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & praefata Auctoritate Apostolica decernimus, quod earum transumptis manu Notarii Publici subscriptis, & Sigillis alicujus Praelati Ecclesiastici munitis, ubique stentur, ut pro originalibus litteris starentur, si essent exhibitae, vel ostensa. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae in prioribus Litteris Nostris praedictis volumus non obtinere, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae Constitutionis, Declarationis, Praecepti, Assignationis, Mandati, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Bononiae, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo decimo, pridie Idus Octobris, Pontificatus Nostris anno septimo.

Sigismundus.

Bulla Monitorii Apostolici contra tres Reverendissimos Cardinales, ut redeant ad obedientiam S. D. N. Papae, ne schisma in Ecclesia Sancta Dei oriatur, anno 1511.

VIII.
Ex Misc.
Biblioth.
Casanat.
Tom. 141.
in 4.